



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Prophetia Apocalyptica S. Joannis Apostoli**

**Kircher, Heinrich**

**Coloniæ Agrippinæ, 1676**

Verba Apocalypseos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39100**

FUGIT, ET MONTES NON  
SUNT INVENTI: quia mare, in  
quo insulae; & terra, in qua montes;  
aliaque elementa calore solvantur 2. Pet.  
3. v. 10.

ET GRANDIO MAGNA *scilicet*  
*Talentum descendit de Caelo* IN HO-  
MINES. Grandio illa est obstinatio  
suprema reprobarum animarum: pla-  
ga est quae DESCENDIT DE  
COELO per iustam subtractionem  
ulterioris temporis poenitendi homini-  
bus obstinatis quotquot noluerunt  
tempori converti ad DEUM. & est  
SICUT TALENTUM plumbi  
(Zach. 5. v. 7.) pondus irremissibilis  
iniquitatis. Unde sequitur: ET

Blasphemia pro-  
pter gra-  
dinem.

BLASPHEMAVERUNT DEUM.  
HOMINES PROPTER PLA-  
GAM GRANDINIS: id est: erunt  
tunc aeternae damnandorum blasphe-  
mia, propter hanc septimam & ma-  
gnam vehementer plagam grandinis,  
indurationem & impoenitentiam in  
spatio mortali quod praeteriit.

Haecenus hujus secundae Partis A-  
pocalypseos Visio tertia: vi cuius S.  
Joannes pervidit consequenter totum  
id quod est de plagis: adeoque potre-  
xit se Visio in hac etiam materia, perin-  
de ut priores & aliae proximè sequen-  
tes in suis materiis, usque in finem  
qui est Judicium.

## TRACTATUS XXV.

### IN PRIMAM PARTEM CAPITIS XVII.

Ostensis 7. plagis, finitaeque hac Visione, unus Angelorum  
qui habuerant 7. phialas, ostendit Statum & novissima Mu-  
lieris, meretricis omnium Regum, sedentis super aquas  
multas. Species ejus describitur Capite 17. damnatio ve-  
ro ejus, seu Vae, Capite 18. quae est Visio quarta in hac Par-  
te Apocalypseos: & de nova materia, itidem perviden-  
da usque ad finem.

### VERBA APOCALYPSEOS.

(Cap. 17. Vers. 1. & seqq.) *Et venit unus de septem Angelis, qui  
habebant septem phialas, & locutus est mecum, dicens: Veni, ostendam  
tibi, damnationem meretricis magna, quae sedet super aquas multas;  
(v. 2.) cum qua fornicati sunt Reges terrae, & inebriati sunt, qui in-  
habitant terram de vino prostitutionis ejus. (v. 3.) Et abstulit me in*

Pars II.

I

Spiritu



, spiritu in desertum. Et vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemia, habentem capita septem, & cornua decem. (v. 4.) Et mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione, & immunditia fornicationis ejus: (v. 5.) Et in fronte ejus nomen scriptum: *Mysterium: Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terra:* (v. 6.) Et vidi mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum Iesu, & miratus sum cum vidissem illam admiratione magna.

## S. I.

## De Muliere Civitate infideli.

Babylon  
mystica: I.

**D**E hac Muliere S. Joanni magnopere admiranti revelat Angelus, quod sit (v. 18.) CIVITAS MAGNA, quæ per MYSTERIUM id est in sensu spirituali appelletur ac sit BABYLON, quæ insideat ac velut inequiter Bestia, & habeat REGNUM SUPER REGES TERRÆ. Bis admonet Angelus *Mysterii*, v. 5. & v. 7. & hinc maxime verum est quod ex S. Hieronymo (ep. 103. ad Paulinum) attulimus in Prolegomeno: in verbis multiplicem latere intelligentiam. Age, nemini potest esse dubium, quin significatio Mulieris Babylonis cadat mysticè; primò super urbem Romanam antiquam. Secundò super Novam, ut nunc est, quæ est Constantinopolis. Addo neminem etiam iturum inficias, quod in his duabus repræsentetur, id quod est tertium, scilicet magna Civitas quæ est Congregatio reproborum omnium.

Ista multiplex intelligentia una cum illa sua connexionem atque ordine, quem proferemus, admirabilem ostendet energiam Apocalypseos in hoc Capite: & conciliabit sententias Patrum de hac Civitate, subordinatas invicem & aptissimè inter se nexas.

2. De prima id est de antiqua Roma ethnica dixit S. Hieronymus (ep. ad Algasiam quæst. 11.) *secundum Apocalypsin Joannis in fronte purpurata Meretricis scriptum est nomen blasphemia, id est, Roma aterna.* Nam de Roma jam Christiana idem S. Hieronymus aliter multò lib. 2. contra Jovin. *scriptam in fronte blasphemiam, Christi confessione, delèsti urbs Apostoli voce laudata.* Et S. Augustinus lib. 18. de civ. cap. 22. *Condita est Roma, velut altera Babylon.* Et S. Petrus, ep. 1. in fine: *Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone coëlecta:* id est; ea quæ in urbe est Roma, particeps divinæ electionis vestræ.

Roma  
vetus  
ethnica.

Ubi